10

DIVO
FRANCISCO XAVERIO
INDIARUM APOSTOLO
HUJUS ÆVI THAUMATURGO
SE SUAQUE
D. D. C.

IGNATIUS LAURENTIUS DELESTRE

CARPENTORACTENSIS.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. XI.

QUÆSTIO MEDICA

PRO BACCALAUREATU

MANE DISCUTIENDA.

In Almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ.

PRÆSIDE

R. D. PETRO RIDEUX

PROFESSORE REGIO

SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM DIRECTORE.

An Paſſioni Hyſtericæ Martialia.

HOMINIS vita calamitatum ſeries, mille ægrotandi cauſas inſe continet. Verum inter omnia morborum genera, quibus divexatur, & miſerè protrahitur, crudelius nullum immaniuſque deſævire ſolet quam affectio hyſterica. Hæc eſt iratum numen, quod nullo hactenùs thure paccatum multos plectit, paucis indulget; omnes indiſcriminatim aggreditur, & æquo pede pulſat divitum turres, & pauperum tabernas; nulli ætati, ſexui, aut temperamento parcit: modo perſpicuum eſt in capite, in abdomine modo & artubus furit, imò has omnes ſimul vincit non raro, & numerosâ ſymptomatum caterva totidem velut aſſeclis ſtipata ferociens, quas aggreditur partes, crudelis, premit ac torquet. Hæc, novo quotidie ſuccata colore prodiens, quem nec protheus luſit unquam, nec coloratus Cameleon, miſeros ſimulâta inducias deſerit, aut fugam mentita reviviſcit. Fruſtra te jactitas, ejus imaginem exprimere, naturamque definire, cum

nullis complexa phœnomenis, nullo signo declarata Pathognomonico, sed longâ symptomatum serie leviter admodum ad umbrari conceditur.

Symptomata, quorum syndrome hîc affectus dignoscitur, vel sunt ea quæ paroxismum antecedunt, quæ præsentem comitantur, vel quæ fugatum subsequuntur. Imminentem præsagiunt vertigo, tinnitus aurium, capitis dolores, pandiculationes, oscitationes, lassitudines spontaneæ, actionum animalium hebetudo, urinæ pallidæ, crystallinæve profluvium. Incipientem arguunt ructus acidi nidorosi, borborigmi, abdominis intumescentia, colici dolores, globi cujusdam versus diaphragma ascensus, respirandi difficultas, cordis palpitatio, strangulatio velut à laqueo, tussis importuna, delirium modo cum risu, modo cum fletu, convulsivi motus, sopor quem ingravescente paroxismo haud raro excipit Apoplexia, his accedit syncope in quâ abolito sensibiliter pulsu, clausis occulis jacent ægrotantes, totumque corpus adeò alget, ut per dies aliquot non raro inter mortuos enumerentur, calor verò aliquis, umbraque pulsûs in non-nullis remanentes patientem vivere significant. Tandem alto suspirio, largiori fletu, vitam postliminio repetunt; pacatoque paroxismo de capitis gravedine, cordis angore, conqueruntur; languidoque corpore & animo per aliquot dies procumbunt.

Tam variæ tamque diversæ, apud authores, super hâc re extant sententiæ, ut unanimis videatur consensus, nullatenùs consentire, & mirum sit conjunctionis & unionis centrum tantum peperisse discordiæ.

Absit! Cum veteribus passionem hystericam, ex atrâ uteri Cloacâ, nubes elevatas intelligas; malè creditum est, cerebrum vaporibus pervium sursum elatis, uni sanguini conceditur, ad sacram palladis arcem ascensus. Nec minus risum moveant, qui à seminis corruptelâ, menstruique sanguinis suppressione, causas eruere amant; cùm, mulieres catameniis etiam copiosè fluentibus, mediisque virorum amplexibus, in passionem hystericam incidisse, passim testentur, observationes. Cesset ergo, *Democritus sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum, authorem uterum* pronunciare

Num ergo, cum Egregio *Nathanaël higmoro* hujusce morbi sedem in pulmonibus repones quos sanguis tenuis, fermentiscibilis admodum, confertim irruens, ibique aëris occursu impensè rarescens, vicissim parit omnes quibus corpus occupatur affectus; immerito? Quos enim hic affectus exagitat, haud raro absque Pulmonum labe, & liberâ interdum respiratione aggreditur.

Cave, ne præjudiciis occæcatus, cùm *Thoma VVilliſio* spirituum fervori, & explosioni tribuas, adeoque in sole caliges. Frustra enim à spirituum explosione, in medio nervorum ductu, motum partium irregularem expectabis, cùm spiritus explodentes, sus, deque propulsi, eorum influxui obices ineluctabiles existunt, non stimuli & excitatores. Soli prostant musculi, motûs primarii & genuini organa, in quibus hæc explosio fieri debet, ut partes quas movent, tum ad motus naturales, tum irregulares insurgant.

Qui nodum difficultatis solvere cupit? Frustra ad fictitiam explosionem recurrit. Sedulus æconomiæ animalis explorator, sanguinem & quidquid in venis inclusum latet, perscrutetur. Sicut in justâ humorum ad invicem relatione, saliumque diversorum amicabili pugnâ, tota fermè vitæ ratio posita est; ita eorum perversa

natura, variaque miſcela & occurſus omnium malorum fons eſt & origo. Dum ſanguis, omnium corporis partium nutritor & altor, nullo ſucco vitiatus, nullâque hæterogeneitate exæſtuat, quas perluit partes, vitalitate ſuâ perfundit, & ad proprias functiones exercendas inſtruit, unde ſanitas. Verùm crudorum adveniencium ſuccorum affuſione, ſalium diverſorum exſuperanti copiâ aggravatus, turbas miſcet malorum, in capite delirium, ſoporoſos affectus, in artubus convulſivos ciet motus, &c.

Morbus hic, ſi ad eſſentiam ſpectes, acidorum vel nidoroſorum ſuccorum ſanguini miſcela. Ne dubites? Sedulus attendas ad omnia hujuſce morbi ſymptomata, ructus, vomitum, borborigmos, ſingultus, colicos dolores, & molis cujuſdam velut aſcenſum, hujus affectus præludia, quorum cauſam non ingenitam, ſed adventitiam, in pravis ſuccis nemo non repoſuerit.

Hæc, ſingulos, indiſcriminatim non aggrediuntur, ſed pro diversâ cujuſlibet ſanguinis diatheſi, variare ſolent. Dum pravi ſucci ſanguini tenui, & ſervido, multoque ſale acri imprægnato affunduntur, nova illico excitatur fermentatio; idem quoque accidit, ſi pinguis, ſulphureus, & ſale volatili turgeat; ſin vero conſtet partibus craſſis, terreſtribus, & acidis, nunquid ab exoticorum horumce, ſuccorum miſcelâ, inſpiſſabitur, coagulabitur cruor; unde evidens eſt pro diversâ ſanguinis conſtitutione, & ſuccorum variâ indole, diverſas exinde excitari, tum fermentationes, tum coagulationes.

Dum ſanguis arteriarum quadrigâ ad cerebrum devehitur, & fermentatione turget, quos perluit canales ultramodum fervore ſuo dilatat, & inaſſueto fremitu, aut irritatione vaſa concutiens, tinnitus aurium, capitis dolorem ciet. Haud raro tamen delirium accidit ingraveſcente paroxiſmo, dum partes non nullæ hæterogeneæ ſpiritibus turbas miſcent, favente laxa glandularum compage, earumque nimia diſtenſione. Ægros motus exercent convulſivi, dum ab inæquali cerebri compreſſione, ſpiritus per canales quos aſſiduè rigant, maguâ vi & inæqualiter aguntur. Tandem ſi æqualis ſit ejuſdem ſanguinis hærentia, & verſus omnes cerebri plagas menſurata diſtributio, compreſſio æqualis inde futura eſt, quam ſequitur neceſſario ſpirituum animalium imminuta ſeparatio, unde affectus ſoporoſi; quos tandem haud raro excipit Apoplexia.

Hæc adauctæ fermentationis conſequentes ſunt effectus; à quibus parum abludunt, quos à ſanguinis craſſitie foveri creditur; dum cruor chyli acceſcentis affuſione inſpiſſatur, urinæ pallidæ, limpidæ paroxiſmum inchoant; quo enim propius ad ſe ſe accedunt partes ſulphureæ, eo uberius ſeroſam partem è ſinu ſuo dimittunt, nec mirum ergo ſi urina aquea & cryſtallina profluat; cùm partes ſulphureæ & ſalinæ, quæ aqueis affuſæ & permixtæ urinam nativo colore tingunt, in ſanguine cum partibus ſulphureis irretitæ & coagulatæ remaneant.

Pandiculationes, oſcitationes, quæ hunc affectum comitantur; nunquid à ſanguinis tum in artubus morâ, tum ab ejuſdem in Pulmonibus hærentiâ ex æquo pendere arbitraris. Dum cruor lenteſcens & cæſpitans, intra capitis vaſa pigrâ ſegnitie torpet, canales quos perluit ultramodum diſtendit, qui glandulas, ſpirituum animalium fontes & officinam, compreſſione ſuâ anguſtando copiam eorum imminuit, quam cito ſequitur vertigo tenebricoſa.

Ludis profecto operam, in inveſtigandis ſymptomatum cauſis, quæ in medio ventre ferociunt, dum alias comminiſceris cauſas. Sola ſanguinis rareſcentia aut ejuſdem inſpiſſatio, eas tibi manifeſtè declarabunt. Cruor in Pulmonibus leneſcens admodum & morâ ſuâ hærens, extrema bronchia comprimit, aëriſque ingreſſui obſiſtendo, reſpirandi difficultatem inducit. Verum infarcta cruore vaſa progreſſivum ſanguinis motum impedient, qui vi cordis contractivâ, in arteriam Pulmonarem protruſus, cùm vincendis impar ſit reſiſtentiis, indextrum cordis thalamum, à quo conſtanter profluxit reſilire cogitur, quod, cordis ſubſultus ſeu palpitationem audit.

Verum cum ſanguis è ventriculo dextro ſingulis ejus contractionibus totus non expellatur; ita paulatim ingurgitatus idem ventriculus conſequenti obſiſtet contractioni, ſic deficiente debito cordis vectigali accedet ſyncope.

Infarcta Pulmonum vaſa, ſanguinis à partibus ſuperioribus regreſſum intercidunt, unde glandulæ ptiroideæ ſtagnante ſanguine implentur & turgent, ſeroſum ſtillant humorem, acrem adeo & irritantem ut muſculos in convulſivas contractiones adigant, quibus ita coarctatur larynx, ut ſtrangulationem mentiantur! Verum cum hæc ſtrangulatio illæſis Pulmonibus, & abſque difficultate reſpirandi præcedente haud rarò contingat; ab irregulari ſpirituum influxu eam pariter deducere non dubitamus.

Ordo nunc poſtulat, ut ſymptomata quæ abdomen ſolent irrumpere ſedulo ſubjiciamus examini; quod tamen initio ſuppoſuimus, mente recolas velim; nimirum ſuccos acidos, nidoroſos, in primis viis genitos, & in fluentum ſanguinis delatos, hæc omnia excitare ſymptomata. Verùm antequam viſcidæ hujuſce fæculentiæ in ventriculo, & inteſtinis ſtabulantes, ſanguini affundantur, prius dividi neceſſum eſt & attenuari, quæ ſalium diverſorum exſuperanti copiâ, bilis affuſione, inteſtinalis ſucci & pancreatis occurſu fermentationis luctam iniendo, copioſos dimittunt flatus, qui huc & illuc vagando, rugitus, & borborigmos cient, & abdomen in tumorem elevant, vel flexuoſo inteſtinorum ductu eorumque cellulis, ob convulſivam fibrarum orbicularium contractionem quaſi incarcerati & impediti, globoſi tumoris ſpeciem mentiuntur. Dum portio materiæ vitiatæ, quæ in flatus haud elevata fuit ventriculo pertinaciter adhærens, illum irritat & acredine pungit, accidit ut ructus interdum excipiat cardialgia, nauſea, vomitus cætera verò ad inteſtina devoluta, novas colicorum dolorum ſtrages edit.

Tanta eſt interdum paroxiſmi ferocia, ut ægrotantes in lethalem conjiciat ſyncopem, ita ut privati ſenſu & motu, abſque pulſu, & reſpiratione, ſenſibili ſaltem, per aliquot dies velut mortui procumbant. Stupendum hoc phænomenon, etſi quam plurimis fabulam anilem ſapiat, tantorum virorum obſervationibus paſſim refertur, ut indubium revocare nefas putaverim. Num, Rigente brumâ, furente borea, plantæ conglaciatæ, abſque ulla ſideratione perſeverant, quamtumvis ſuccus earum nutritius torpeat? Num anates ſcoticæ, ranæ, hirundines, in ſtagnis paluſtribus glaciatis, abſque reſpiratione demerſæ perdurant, & adventante vere, quaſi redivivæ ſolutis compedibus illæſæ aufugiunt? Cur ergo neges, hyſtericam per aliquot tempus ſine reſpiratione poſſe vivere. At inquies forſan, ubinam hæc cum animantibus illis, ſimilis naturæ diſpoſitio, & conſtitutio?

Sed

Sed cave decipiaris ſymptomatis, quæ in hoc morbo prima ſeſe offerunt, accuratè perpendas ſanguinis craſſitiem in hyſtericis, qui expanſivum ſuum motum diu tuetur & renitentiâ cor à contractione ſua, ſenſibili ſaltem arcet; dum tenuior & mobilior pars à craſſiori expedita recedit, & unà cum particulis aëreis per mixta circulatur. Quì autem ægrotantes ſine reſpiratione vivere poſſint interrogas? Vide quid præſtat in humano corpore. Sanguis lutulentus, craſſus, ab omnibus partibus redux pulmones perfluit, aëris commiſcelâ accenditur, inde vitæ fovendæ protrahendæque aptus evadit. Verùm in paſſione hyſtericâ tenuior ſanguinis portio à craſſiori expedita, aëris omnem ſuſcepit partem, & motore illo accenſa, nullo alio indiga, fluiditatem, motumque fermentativum tuetur, qui illorum vitæ generi ſufficit. Tandem ſanguis indeſinenti ſuo motu, & repetitis circulationibus torpidiori & craſſiori paulatim fluiditatem reſtituit; ſic qui prius otiosè torpebat incipit circulari, functionum omnium diſſipatur eclypſis, & qui ſine reſpiratione expiraturus erat, feliciter incipit reſpirare, & à tenebroſo mortis limine ad vitales regreditur auras. Neque tamen ſubdio verſari putes aliæ ſuperſunt ægritudines, ab ejuſdem ſanguinis craſſitie pariter deducendæ. Quid quæſo intolerabilis cordis angor, pectoris gravamen, capitis dolor, largiores fletus, & longa ſuſpiria ſignificant, niſi ſanguinem in cerebro & præcordiis retentum.

Omiſſis minùs eſſentialibus, hujuſce morbi differentiis, in primariam & ſecundariam ſive ſymptomaticam dividere placet; hæc præexiſtentem ſupponit morbum; illa nullum præter ſe ipſum arguit. De priori jam actum eſt; poſteriorem quod ſpectat, ſedulo obſervandum, in plurimis hyſtericis affectionibus inſontem uterum fuiſſe repertum; dum alii renes fere ulcere depaſtos, abceſſus, tumores cancroſos in pancreate, ſuppuratos in mezenterio, in ovario, in utero ulcera inveniſſe paſſim glorientur, quibus conſtat hyſtericam affectionem, utero nullâ labe vitiato poſſe contingere, qui etſi morbo laborare crediderit, non potiori jure ad hunce affectum producendum concurrere, quam cæteras corporis partes, jure meritò pronunciabis.

Cauſæ remotæ & procatharticæ, ſunt ea omnia, quæ cruditatum tum acidarum, tum nidoroſarum proventum accerſent; quæ à præpoſtero rerum non naturalium uſu petenda ſunt.

Diagnoſis, in ſyndrome ſymptomatum ſuperius enumeratorum, poſita eſt; nec parum utile ad praxim, noſſe, num à ſanguine inſpiſſato, num ab eodem fermenteſcente foveatur: ex craſſiori ſanguine ortum ducere conjicies! pulſu parvo, debili, vultu pallido, extremorum frigiditate, temperamento pituitoſo. A ſanguine rarefacto pendere augurabis? Pulſu pleno, valido, vivido vultùs colore, deurente artuum calore, temperamento bilioſo.

Contumax eſt hic affectus, mitiora eludens pharmaca, potentioribus aliquando ferociens Medicinæ præſidiis. Periculoſæ plena res aleæ in prægnantibus & puerperis; dum vero tam immaniter ferocit; ut Apoplexiam ſibi adjungat; mors fores pulſat.

Fruſtra paſſioni hyſtericæ mederi voles, niſi ejus cauſas apprimè noris. Attentè conſidera; num à ſanguine fermenteſcente, num ab eodem inſpiſſato dependeat. Morbum ſanare contendis ſanguinis fermentationem ſeda. Quî ſedatur? venæ

sectionibus, refrigerantibus, paregoricis, & leviter purgantibus; causam procatharticam remove; sanguinis in canalibus ex superantis aut turgentis copiam non mediocrem detrahe sic morbo tuto succurres. Sin vero ab inspissatione foveatur; fac sternutoriis sanguinem arietando non hæreat, & moretur; crassiores succos, stomacho hærentes Emeticis. Expurga; graveolentia acriora solerter oppone verum si prætermodum ingravescat paroxismus; Diaphoretica, hysterica vulgo dicta, castoreum, spiritus cornu cervi feliciter accommodantur; quæ si mitiora tibi sint præsidia; lilium paracelsi, guttas anglicanas, aut Monspelienses in auxilium advoca. Hæc sunt quæ in paroxismo solent adhiberi, peracto vero; obstructiones si quæ sint aperientibus resera; venæ sectiones, balneum, lac asininum, aut serum lactis adhibe. Nec si tuto mederi velis abeâ tibi recedendum. Nec eos audias, qui aut graveolentium aut suaveolentium ope omnem passionem hystericam sanandam existimant. Si enim eorum effectus cum *Bartholino*, & *Horstio* observatus fueris, ab iisdem non raro passionem hystericam exitari deprehendes; quæ tamen salutaria esse possunt prodiversâ sanguinis diathesi.

Extra paroxismum, recidivam vis præcavere; languentem ventriculum stomachicis erige. Attamen remedia omnia venæ sectione auspicari suadeo, ut facilius vim suam exerant; pluries amara & aperientia exhibe; primas vias purgantibus repetitis à putredine arce; ad aquas thermales ægrum ablega; absorbentibus, cortice peruviano cruditatum vim irretire. Verum ut fatear in hâc remediorum sylvâ, sæpe sæpius multa occurrunt folia per pauci vero fructus; quare sedulo expensis omnibus artis præsidiis, martialia è ferro aut chalybe petita adhibe; hæc non solùm porosâ suâ texturâ acida salia irretire sufficiunt, sed præterea mole ac pondere, unâ cum sanguine circulando dividunt, atterunt & ad liberiorem circulationem habilem reddunt unde jure concludo.

ERGO, Passioni Hystericæ Martialia.

DISPUTATURI.

R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius.*
R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*
R. D. Joannes Bezac.
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Antonius Magnol.

R. D. Henricus Haguenot, *Doctor Aggregatus.*

DOCTORES ORDINRII.

M. Eustachius Marcot. M. Antonius Fizes.

Propugnabit in Augustissimo Monspelienſis Apollinis fano IGNATIUS LAURENTIUS DELESTRE *Carpentoractenſis Artium Liberalium Magister, & Universitatis Consiliarius, Die mensis Aprilis* 1711.